



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum conuenienter assignetur tempus sponsalium,
scilicet quod possint contrahi post septennium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

gionis quam status matrimonii consummati, illud autem non est verum, ergo &c.

8 Alii autem dicunt quod hoc est propter statutum ecclesie, sed hoc non valet, quia statutum ecclesie nunquam soluit matrimonium, nisi quia prius statuit personas illegitimas ad contrahendum, vel quia fuit aliis illegitimus contractus: matrimonium autem contractum legitime, non soluitur per statutum ecclesie. Item statutum nouimus, sed causam querimus.

9 Ideo dicendum est aliter quod sicut dicit Apost. Rom. 7. & 1. Cor. 7. mulier alligata est legi quanto tempore vir eius uiuit: mortuo autem viro soluta est a lege viri. Matrimonium autem dupliciter statutum habet. Primum status matrimonii est quando contractus est per verba de presenti & non est consummatus per carnalem copulam. Secundus status est quando consummatus est per carnalem copulam: prius status respectu fecundi est quasi spiritualis & secundus respectu primi est carnalis. Similiter est duplex mors, una corporalis per separationem anime a carne, alia civilis & spiritualis, qua quis moritur mundo & uiuit Deo per ingressum religionis: talis enim perfectio moritur mundo & uiuit quo ad omnia que in mundo sunt. scilicet ad animam & quo ad corpus, & res exteriores: quo ad animam per votum obedientie per quod aliquis renouat propriam voluntatem que est domina in regno anime, quo ad corpus per votum castitatis, quo ad res exteriores per votum paupertatis. Ex quo potest sic argui: sicut se habet matrimonium consummatum quod est carnale ad mortem corporalem, sic se habet matrimonium non consummatum quod est spirituale ad mortem spirituales, sed matrimonium carnale soluitur per mortem carnalem, ergo matrimonium non consummatum quod est spirituale soluitur per mortem spirituales: hoc autem est ingressus religionis, ergo &c. Hoc etiam videtur processisse ex facto Christi qui secundum quosdam huiusmodi Ioannem uolentem nubere uocauit de nuptiis.

10 Ex quo patet quod tale matrimonium non soluitur per susceptionem sacri ordinis licet hoc uideatur innuere Hostien. in summa sua, quia per susceptionem sacramenti ordinis non efficitur quis mundo mortuus, sed solum mutatus: est enim liber quo ad uelle & nolle, & dominus rerum suarum habens proprietatem earum ut prius, quam si cum titulus per votum castitatis annexum sacramentum ordinis uel magis ex statuto ecclesie. (ut infra patebit.) Et istius sententia uidetur esse Ioannes in apparatu. 27. q. 2. ca. desponsatam. ubi dicit quod sponsus non potest recipere ordinem sacrum. Ius etiam expressum est de ingressu religionis quod si licitus ante carnalem copulam, non autem de susceptione sacri ordinis, imo expressum prohibetur in noua constitutione domini Ioan. Pape. 22. que incipit. Antiqua concertatione. in qua declaratur quod susceptio sacri ordinis non dirimit matrimonium prius contractum, dato quod non sit per carnalem copulam consummatum. Quod autem dictum est quod matrimonium ante consummationem soluitur per religionis ingressum, intelligendum est quando aliquis ingreditur cum effectu, hoc est quando proficitur.

11 Sed nunquid alius remanens in seculo tenetur ex peccare quousque alius sit professus? Dicunt omnes quod sic, sed quidam dicunt quod tempus probationis debet abbreviari & taxari per episcopum propter periculum incontinentie illius qui remanet in seculo: alioquin posset fraudari iure suo: quia intrans religionem posset esse usque ad finem anni in uno monasterio, & sic exire & intrare aliud monasterium, & sic alius fraudaretur.

12 Alii uidentur distinguendum, quia si uxor intrat de scientia mariti uel conuerso, remanens in seculo tenetur expectare professionem, nec debet abbreviari tempus probationis a iure statutum, cum tunc non fiat remanenti in seculo aliquod preiudicium. Si uero non intrat de licentia, debet ei certum tempus prefigi intra quod profiteatur: nec est incontinentens tunc tempus probationis a iure statutum abbreviari, quia speciale est in hoc casu propter periculum incontinentie illius qui remanet in seculo.

13 Alii uidentur quod ex quo ius ei permittit quod intret religionem, & tempus probationis non solum introductum sit in fauorem conuersi, sed etiam in fauorem monasterii ut sumatur experientia de moribus nouitii, non debet illud tempus abbreviari nisi forte appareret fraus eius, ut quan-

do iret de uno monasterio ad aliud discurrere. Primam opinionem tenet Bern. in apparatu extra de regularibus & transuentibus ad religionem, ca. statumimus. Secundam uidentur tangere Ioan. 2. q. 2. ca. desponsatam, in glosa. Tertiam tenet Hostien. in summa sua, & sic patet qualiter matrimonium nondum consummatum soluitur per religionis ingressum etiam quo ad vinculum.

14 Si autem matrimonium sit consummatum, aut hoc est per uolentiam illam uxor a viro, aut de consensu utriusque. In primo casu uidetur quibusdam quod mulier potest intrare religionem inuito viro & profiteri, & sic matrimonium inter eos solui. Quorum ratio est, quia nullus debet perdere ius suum inuis ex sola culpa alterius: sed mulier antequam cognosceret haberet ius ingrediendi religionem si uellet, ergo per hoc quod cognoscitur inuita non amittit ius suum.

15 Alii uidentur quod ex quo matrimonium est consummatum nullo modo separatur, nisi per mortem corporalem. Nec obstat quod alii dicunt quod talis copula non est omnino iniuriosa nec uolenta, cum maritus usus sit re sua: accepit enim per mutuum consensum ius in corpus mulieris quod permanet quousque soluitur per professionem religionis, & ideo maritus usus est iure. Illi autem mulieri imputetur si uolebat religionem intrare quod non cauit sibi a matrimonii consummatione. Si autem matrimonium sit consummatum de consensu utriusque, sic secundum omnes non potest solui quo ad vinculum per religionis ingressum, sed solum per mortem corporalem alterius, ut patet ex praedictis: & propter aliud, quia matrimonium quod signat unionem Christi & ecclesie indiuisibilem, est totaliter indiuisibile manente utroque coniuge, sed tale est matrimonium consummatum, signat enim coniunctionem Christi & ecclesie quo ad naturam assumptam que fuit indiuisibilis, quare &c. Et sic patet primum. scilicet qualiter matrimonium soluitur quo ad vinculum per religionis ingressum.

16 De solutione autem matrimonii quo ad thorum, dicendum quod soluitur dupliciter. Uno modo ex culpa alterius coniugis. scilicet per fornicationem. Alio modo ex mutuo consensu quando pari voto ingrediuntur religionem, uel alter ingreditur, alter uero manet in seculo profitens continentiam, si tamen sit persona de cuius incontinentia probabiliter non timeatur, aliter non.

17 AD primum arg. dicendum quod minus uinculum soluitur per maius quando sunt unius rationis, & unum est impossibile alteri, & sic soluitur unum uotum per aliud ut uotum transmarinum per uotum religionis, & uotum minoris religionis per uotum maioris, nec est in aliquo preiudicium: quia uotum fit principaliter Deo non homini. Et ideo sicut non est preiudicium, cum eidem soluitur plusquam sit ei promissum, sic non est preiudicium cum quis transfert se de minori uoto ad maius quando utrumque fit pure Deo, & propter deum: sed matrimonium & uotum religionis non sunt uincula unius rationis, quia per unum (scilicet per matrimonium) obligatur quis homini secundum Deum, per aliud uero (scilicet per uotum religionis) obligatur quis homini uice Dei. Et ideo fieret preiudicium alteri coniugi si preter eius uolentiam transferretur quis ad uotum religionis.

18 Ad secundum dicendum quod ille qui ingreditur religionem post consummatum matrimonium sine consensu alterius non ducitur Spiritu sancto qui est spiritus ueritatis, & arguit mundum de peccato: istud autem est peccatum & contra ueritatem iustitie, ideo &c.

QUESTIO TERTIA.

19 Vtrum conuenienter assignetur tempus sponsalium, scilicet quod possint contrahi post septennium.

20 Etiam queritur utrum conuenienter assignetur tempus sponsalium, scilicet quod possint contrahi, post septennium. Et uidetur quod non: quia sponsalia ordinantur ad matrimonium, sed non idem tempus assignatur pro matrimonio contrahendo viro & mulieri, cum viro assignetur tempus. 14. annorum, mulieri uero. 12. ergo non idem tempus debet assignari viro & mulieri pro sponsalibus contrahendis, non ergo tempus septennium erit pro utroque.

21 Item contractus qui potest fieri per alios non requirit discretionem rationis uel usum in illis de quorum con-

tractu agitur, sed sponsalia possunt contrahi inter parentes pro filiis, ergo non requiritur in filiis aliqua ætas discretio, nec tempus septennii, nec aliud.

3 IN contrarium est quod dicitur iura. ff. de sponsalibus. l. in sponsalibus. & extra de desponsatione impub. ca. literas. & ca. accessit.

4 **RESPONSIO.** Videnda sunt tria. Primum est an sponsalia conuenienter præcedant matrimonium, & quor modis contrahantur. Secundum est de tempore statuto ad contrahendum sponsalia. Tertium est an contra facta possint dissolui, & quibus modis.

5 Quantum ad primum dicendum quod sponsalia conuenienter præcedunt matrimonium. Cuius ratio est: quia in magnis & periculosis contractibus promissio conuenienter præcedit rei traditionem (facilius enim est & minus inconueniens corrigere si errare cõtingit in contractu quãdo initiatur, quã quando est totaliter consummatus) sed matrimonium est contractus magnus valde & periculosus, cum alter coniugũ alteri obligetur, non solum quo ad exteriora, sed quo ad propriũ corpus & in perpetuã seruitutem, ergo conueniens est quod matrimonium in quo fit translatio corporis proprii in potestatem alterius præcedat sponsalia, quæ sunt promissio futurarũ nuptiarum de matrimonio contrahendo. Propter eandem rationem est statutum, vt sponsalia quæ sunt promissio futurarũ nuptiarum publicentur per banna, vt appareat si quid legitime obstat matrimonio contrahendo, vt habetur extra de clandestina desponsatione, ca. vlt. Et similiter propter eandem rationem statutum est, vt in religione tempus probationis præcedat tempus professionis. Contrahuntur autem sponsalia quatuor modis. scilicet nuda promissio, vel datis harris sponsalitiis, vel annuli subharratione & interpositione fidei, seu iuramenti. In solo primo contrahuntur sponsalia. Cætera vero non sunt nisi confirmatio sponsalium. Promissio autem per quam sponsalia contrahuntur, aut est absoluta, aut conditionata. Si absoluta statim per ipsam sponsalia contrahuntur. Si conditionata, aut conditio est honesta, vt cum dicitur, accipiam te si parentibus placeat, vel si dederis centum, & tunc stante conditione stant sponsalia, & nõ stante non stant, sicut habetur extra de conditionibus appositis in despon. ca. de illis autem. & ca. super eo. Si autem conditio sit inhonesta, aut est contra bona matrimonii (vt si dicatur, accipiam te si sterilitatis venena procures, vel donec inueniam aliam meliorem) & tunc non contrahuntur sponsalia, cum ordinentur ad matrimonium cui opponitur conditio apposita: aut non est contraria bonis matrimonii, & tunc sponsalia stant & conditio debet haberi pro non adiecta, vt expressè habetur extra eodem titulo quo supra, ca. vlt. vbi etiam dicitur quod si conditio sit impossibilis (vt si dicatur contraham tecum si digito caelum terigeris) stant sponsalia & conditio debet pro non adiecta haberi, quod est valde mirandum, cum sponsalia contrahantur per consensum, sicut & matrimonium: per talia autem verba conditione impossibili apposita magis conuenit intelligi dissentus quam consensus.

6 Quantum ad secundum sciendum quod tempus septennii conuenienter est determinatum a iure pro sponsalibus contrahendis: quia quicumque contrahit sponsalia debet habere aliquam prudentiam de futuris, cum sponsalia sint promissio futurarum nuptiarum, sed ante septennium nullus habet sufficientem prudentiam de futuris, ergo &c. Minor declaratur. Est enim triplex status hominis, vt dicitur. i. Ethic. Primum enim est cum quis nec per se intelligit, nec ab alio capere potest. Secundus est, cum homo ab alio capere potest, sed ipse non sufficit ad intelligendum per se. Tertius est cum ab alio potest capere, & per seipsum considerare. Primum statum obtinet homo ante primum septennium & propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est, & ita nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit homo pertinere in principio secundi septennii: precipue quantum ad ea quæ ad personam ipsius pertinent, ad quæ ratio naturalis citius conualescit: & ideo tunc incipit esse aptus ad aliquam promittendum in futurum per sponsalia, non autem ad obligandum se perpetuo vinculo per matrimonium, quia adhuc non habet firmam voluntatem. Ad tertium statum venit homo in principio tertii septennii, & ideo potest se tunc obligare in his quæ ad

personam ipsius pertinent, vt ad religionem, vel matrimonium. Pater ergo minor. l. quod ante primum septennium non habet homo prudentiam de futuris quæ sufficit ad contrahendum sponsalia.

7 Quantum ad tertium sciendum est quod sponsalia dimittuntur in octo casibus. Primum est cum alter intrat religionem cum effectu. Nec mirũ, cum in hoc casu matrimonium nondum consummatum soluat, vt patet ex prædictis quia in ingressu religionis est quædam mors civilis: & de hoc habetur extra de conuersione coniugatorũ, ca. verũ, & capitulo ex publico. Secundus est quando alter contra hit cum aliquo per verba de presentibus, extra de sponsalibus, si inter virum, & de sponsa duorum, cap. primo. Et in his duobus casibus soluantur sponsalia ipso iure. Tertius est quando alter transfert se ad regionem longinquã, & conuenienter expectatus non redit, extra de sponsalibus de illis autem. Quartus est quado superuenit enormis infirmitas quæ notabiliter debilitat, vt epilepsia vel paralytis, aut notabiliter deformat, vt abscisso nasi, vel aliquid huiusmodi: aut quæ est contra bonum proles, vt lepra quæ solet prolem inficere. de hoc habetur extra de coniugio leproforum, ca. literas. & de iureiurando, quemadmodum. Quintus est cum superuenit affinitas, extra de consanguinitate & affinitate, super eo. & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum. Sextus est quado alter fornicatur, extra de iureiurando, quemadmodum, quia ex hoc male præsumitur de fide in posterum seruanda. Septimus est quando mutuo se absoluit, extra de sponsalibus, ca. præterea. Istum tamen casum quidam nõ recipiunt, dicentes quod ecclesia hoc non approbat tanquam licitum, sed sustinet tanquam minus malum, ne deterius contingat, quia coacta matrimonia confueverunt habere malos exitus: & huic opinioni videtur satis concordare textus de creta. Sed exemplum quod in decretali adducitur nõ bene concordat: dicit enim quod mutuo se absolueret possunt instat eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, postea eadem sibi remittunt, quod vtrique fieri licitè. Est etiam ad hoc ratio: quia omnis promissio quantumcumque iuramento confirmata facta in fauorem hominis potest remitti ab eo in cuius fauorem facta est: cum ergo sponsalia sint promissio facta homini de futuro matrimonio, quantumcumque sint vallata iuramento possunt dissolui, vt vnus absoluit alterum, & hoc videtur verius. Octauus casus est quando sponsalia contracta sunt inter parentes, & vterque vel alter veniens ad ætatem legitimam petit absolui, extra de desponsatione impub. ca. de illis, & in his sex vltimis casibus soluitur sponsalia per iudicium ecclesie, & ipso facto.

8 AD primum arg. dicendum quod in contractu matrimonii non solum requiritur dispositio animæ quo ad vsum rationis, sed & dispositio corporis vt sit tempus generationi aptum. Et quia puella in. 12. anno ad hoc venit, masculus autem in fine secundi septennii: vt habetur. s. de animalibus: simul autem vsum discretionis accipiunt qui requiritur tantum in sponsalibus, ideo in sponsalibus determinatur idem tempus vtrique, non autem in matrimonio.

9 Ad secundum dicendum quod contractus qui sunt inter parentes pro filiis non habent vim verã sponsalium licet sit quædam pactio inter parentes: quod patet, quia nisi pueri venientes ad ætatem legitimam ratũ habeant tactè vel expressè quod per parentes actum est, nihil valet.

QUESTIO QUARTA.

Vtrum cum bigamo liceat dispensare.

Quartò queritur vtrum cum bigamo liceat dispensare. Et videtur quod non: quia contra ius diuinum non licet dispensare, sed de iure diuino est, quod bigamus non promoueat ad ordines cum hoc continetur in canone biblia. i. Tim. 3. Oportet episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris virum, ergo nulli in hoc licitum est dispensare.

2 Item extra de bigamis dicitur, quod cum clericis qui quantum est in ipsis secundas mulieres matrimonialiter sibi coniunxerunt, tãquam cum bigamis dispensare non licet.

3 IN contrarium est, quia Lucius Papa dispensauit cum Panormitano episcopo qui erat bigamus, vt dicit Gaufridus in sua summa.